

X X I I.

Peregrè abiens ne impediatur aviis, comitem sibi ducem eligit & adjungit: idem Medico ne accidat in praxi versaturo, *signa morborum*, regiam quæ ostendant viam, colligere & ostendere opus habet. *Ea autem sunt pathognomonica tum universalia tum particularia: diagnostica & prognostica.*

X X I I I.

I. *Pathognomonica universalia* sunt dolor circa coli regionem jam fixus, jam vagus, nausea, ructus, vomitus & appetitus dejectio, ventriculô in consensum tractô. Crura contrahi, *Mercurialis* (a) notat, testesq; & suspensores dolere, *Aretæus* (b) tradit. Vigilia verò in primis urget. *Particularia & αἰτιολογικά* præcipua paucis completuntur istis. *Flatus* produnt inflatio & obmurmuratio ventris, rugitus copiosi, excreta aquis innatantia, dolor vagus, causæ antecedentes flatus generantes, victus fugax &c: *Stercoralem* exponunt antecedens alvi suppressio, dolor gravativus, extensivus, fixus, assumpta adstringentia, excrementitia & arida: nimia exercitatio. *Calculosam* dolor indicat insigniter gravativus & extensivus, contusivus etiam cum motione, citra hanc compressivus & fixus, prægressa petrificationis signa: *ab aliis* verò quæ est assumptis *solidioribus*, ex ægri rogati informatione agnoscitur. *Pituitosam* explicat dolor perforativus & fixus, sitis carentia, assumpta ad pituitæ generationem idonea, excreta mucosa, gravitatis & frigiditatis sensus & demum difficilis eradicatio. *Biliosam* oris amaritudo, sitis, stomachi ardor, febris, dolor acutus & mordicativus, urina ignea (c) & excrementa biliosa cum ardore, à calidioribus irritatio. *Vermicularem* propria produnt signa. *Ab inflammatione* si est, febris urget & sitis incompscibilis, dolor fixus, extensivus
urinae